



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo sigillum, & scriptura mentiantur. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

no ebullias, ac spongia super eas perline: nam cōfestim literæ videbuntur, vbi humorem senserint, colorabuntur, & pristinae integritati restituentur.

Quomodo sigillum, & scriptura mentiantur.

C A P. XI.

IN vrbium obsidionibus, & exercitibus, & Magnatum Inegotijs maximo vsui esse possint, literas Ducis manu obsignatas, ac sigillo proprio munitas referare, scire quid contineatur, ac resignare, alias contrarij tenoris scribere, & similia, docebimus quomodo possimus

Sigillum mentiri.

Liquescat sulphur, & in liquidum proijce cerussam pulueratam, misturam hanc supra sigillum impone, sed circummunias vel papyro, vel cera, aut creta, & cōprime, frige factū amoue, & in eo typum sigilli habebis. Idem etiam præstabimus alio modo. Repleatur olla fictilis aceto, intra vitriolum conijcito, & plusculum æruginis, ac in bullas efferuescere finito, intus laminas ferreas immerge, paululo temporis elapso, tolle, & ab superficie cultro abra de situm quendam, quem contrahit, quasi lutulentum, & in subiectam patinam serua, summerge iterum in ollam, alteram cape, eodemq; modo abra de, & sic quousque huius crassamenti aliquam partem habueris: in hoc argentū viuum proijce, & malagma confice, quod dum molle, & tenerum est, supra sigillum comprime, & sub dio finito, nam adeo durefcit, vt facillime literas sigillo imprimere poteris, vt fere metallum euadat. Possumus & alio modo idem efficere. Recipe chalybis scobem, & fictili vase igni duro appone, adde res, quæ fusionem accelerant, & liquefactum proijce in cauum locum, ænea pila terito, quia facile fiet, & sic ter, quater facito, mox puluerato, & argentum viuum cum eo remisceto, & in olla vitro sublita bulliat per diei quadrantem, vsq; donec sit optime remistum, tandem imprime in eo sigillum, & refrigerati finito, & durissimum euadet. Possibile erit

Magnum sigillum coarctare,

Si euenit aliquando, vt minori sigillo indigeamus,
hoc

hoc modo faciendum. Sumito iethiocolam, solue in aquam, perline typum oleo, ne glutino adherescat, cera sigillum circumda, ne diffuat materia, iethiocolam igni appone, & liquefacito, proijce supra typū, post tres horas vbi refrixerit, amoue, & reficcari curato, nam sigillum quum siccessit, in minorem formam contrahitur mensurate. Si vis

Scribentis formam imitari

ita facito, aperi epistolam supra speculum vitreum, cui desit bracteola, supra epistolam pone albam chartam, sub vitro lumen, atramentum tempera ad similitudinem scripti, & supra apparentes characterum ductus lineas ducito. Possumus

Epistolas referare, & claudere sine suspicione,

Nostro more clauduntur epistolæ, supra inducta papyro, quæ ex vna parte literâ penetrat, ex alia supra transitum inducitur cera, & sigillo comprimitur. Ita epistolam referabis, rumpe partem illam papyri superinductæ loco, vbi pertransit epistolam, & perforatur, illico referatur epistola, legito ac denuo claudito, & papyrū præruptam suo foraminis accommoda, linita prius fissura ex gummi tragacanthæ in aqua soluto, nam adeo charta glutinatur, vt fortior eo loco sit, quam alijs, pondusculeo comprime, dum siccescat, fraus detegi non potest, quia glutinum album est, nec à chartæ colore dignoscitur.

Quomodo longe loqui possis. CAP. XII.

MULTI sunt modi, quibus etiam longissime cum amicis absentibus loqui possimus, aut carceribus occlusis, aut vrbibus tuto, & sine aliqua suspicione, vt dicemus: nunc duo declarantur, aut voce in apertum reflexa, aut per tubum. Possumus

Voces in apertum delata significare conscijs aliqua.

Mirum profecto dictu, vt sicut lumen, ita etiam vocem ad parem angulum reflecti, quomodo id speculo fieri possit, dicemus, quo vero modo per muros rectos, aut circulares loqui possimus, fere vulgare est. Vox ex ore prolata per aera incedit, si circa murum vniformem,